



OBSERVATIONES
IVRIS ROMANI ET SAXONICI

QVAS

PRAESIDE

D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

PROFESSORE INSTITVTIONVM ORDINARIO CV.
RIAE PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE COLLEGII
IVRECONSVLTORVM ASSESSORE EIVSDEMQUE

H. T. DECANO

DIE I. AVGVST. A. S. R. c1b1occlxxviii.

H. L. Q. S.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITVRVS EST

FRIDERICVS GVILIELMVS ROSZTOCK

VARSOVIA - POLONVS.

SPECIMEN VIII.

VITEBERGAE

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

28

1778

11



OFFERTATIONES

IVRIS ROMANI ET SAXONICI

1742

TRATIBUS

D. GEORGIO STEPHANO
WILLANDIO

PROFESSORE INSTITUTIONVM ORDINARIO GV
ALII FACULTATIS SCIENTIARVM ATQVE COLLEGI
IVRISCONSVLTOR M. A. S. S. ORDIN. P. S. S. S. S.

H. T. D. CANO

MR. J. W. ...

M. A. S. S.

AD DOCTRINAM PROPOSITAM

EMERITVS GUILIELMVS ROSSTOK

ALBERTVS - ROSSTOK

SPECIMEN VIII

VITAE

LITTERARVM ...



VIR ILLVSTRIS ATQVE AMPLISSIME
PATRONVS
SVMMA PIETATE COLENDE

VIRO

ILLVSTRI ATQVE AMPLISSIMO

CHRISTIANO FRIDERICO AVGVSTO
REINHARDO

SERENISSIMO ELECTORI SAXONIAE

A CONSILIIIS AVLAE

ATQVE

IN SENATV SANCTIORE REFERENDARIO

PATRONO OPTIMO

ILLVSTRIS S. P. D.

FRIDERICVS GVILIELMVS ROSZTOCK

A 2



VIR ILLVSTRIS ATQVE AMPLISSIME
PATRONE

SVMMA PIETATE COLENDE.

*Q*uam diu optavi, ut in fidem tutelamque Tuam reciperer. Quibus enim ea felicitas contigit, iis optima quaevis a patrocinio Tuo expectare licet. Es vero iis virtutibus ornatus, quas aequi rerum existimatores non tam laudibus celebrare, quam potius pia mente admirari solent. Optimo Principi Tuae in negotiis prudenter expediendis sollertia ita fuit comprobata, ut splendidum aequae ac graue munus Tibi contulerit. Laudarem nunc eximia, quibus patriam beas, merita, exquisitissimam omnium litterarum doctrinam, admirabilem prorsus humanitatem, qua Tibi omnium animos deuincis, nisi Tua, qua excellis, modestia, verhorum praeconia arceret. Ignoscas modo, quod libellum tenuem, tanquam testem pietatis, qua Te colo, ingenuum, ad Te afferre haud erubescam. Spero enim, hoc quaecunque animi Tibi deuinctissimi testimonium, Tibi haud fore ingratum. Ceterum Deum ardentissimis imploro precibus, ut Te VIR ILLVSTRIS, multos adhuc annos sospitem atque incolumem seruare Tuisque consiliis ad salutem publicam directis semper propitius annuere velit. Me vero, ut in posterum ea, qua semper soles, beneuolentia atque humanitate tutari pergas, maximopere oro rogoque.

NOMINI TVO ILLVSTRI

Dabam Vitembergae

die XXVIII Iulii

A. S. R. MDCCLXXVIII.

addictissimus cliens.



I.

De his, qui in numero maritorum sunt.

Imperator Augustus cum intelligeret, reipublicae felicitatem optime iuuari fortunatorum matrimoniorum frequentia, teste Dione Cassio in *histor. Roman. Libr. 56. cap. 2. seqq.* summo studio id egit, ut ciues suos ab impuris libidinibus auocaret atque ad casta connubia adduceret. Perlata igitur lege Papia Poppaea feliciter, ut iniustas nuptias poenis coereuit satis acerbis, ita e contrario matrimonia legitima iucundis valde praemiis condecorauit atque sapienter constituit, ut iusta soboles honoribus cum petendis, tum gerendis, multum utilitatis praestaret. Quod ut aliquo exemplo ostendamus, testimonium nunc denunciamus Gellio, qui *Libr. 2. cap. 15.* haec refert: *sic capite septimo legis Iuliae priori ex consulibus fasces sumendi potestas sit, non qui pluris annos natus est, sed qui pluris liberos, quam collega, aut in sua potestate habet, aut bello amisit. Sed si par utriusque numerus liberorum est, maritus, aut, qui in numero maritorum est, praesertur. Si vero ambo et mariti et patres totidem liberorum sunt, tum ille pristinus honos instauratur, et qui maior natus est, prior fasces sumit.* Ex hoc quidem loco luculenter cognoscitur, in honoribus deferendis magis liberorum, quam aetatis rationem fuisse habitam ita quidem, ut natu minores maioribus, quos liberorum multitudine vincebant, anteponerentur. Licet vero sententia huius loci satis sit certa, non inuulis tamen inde nascitur de his, qui in numero maritorum sunt, disputandi occasio, praesertim cum veteres Iureconsulti eorum mentionem haut fecerint. Nolumus vero numero maritorum




torum adscribere eos, qui nuptias, vt priuilegia maritorum con-
 sequerentur, simularunt, tabulasque dotaless tamquam testes matrimonij
 contracti idoneas, composuere. Eiusmodi enim instrumenta, si ma-
 trimonium haud fuit subsecutum, vti ex *l. 13 C. de nupt.* cernitur, ni-
 hil probant. Expressis verbis Caius in *l. 30. D. de nupt.* declarat, si-
 mulatas nuptias obligationem civilem haud producere. Neque con-
 tractus imaginarij, vt Modestinus in *l. 54. D. de obligat. et ad.* ait,
 iuris vinculum obtinent. Adde *Tit. C. plus valere, quod agitur,*
quamquod simulate concipitur. E contrario vero maritorum numero
 aggregamus eos, qui principum indulgentia hoc ius adepti sunt.
 Quod quidem olim militibus, propterea quod iis vxores ducere, vel
 eas in castra et hiberna asferre non erat licitum, ab Imperatore Clau-
 dio fuisse tributum, Dio Cassius in *histor. adducta Lib. 60. cap. 24.*
 testatur. Consulendus hic est Heineccius in *commentar. ad leg. Iul. et*
Pap. Popp. p. 199. Cur Romani mulieres a castris arcuerint, apparet
 ex iis, quae Seuerus Caecina apud Tacitum *Annal. L. 3. cap. 33.* disse-
 rit, vbi contendit, *inesse mulierum comitatu, quae pacem luxu,*
bellum formidine morerantur et Romanum agmen ad similitudinem
barbari incessus conuertant. Deinde quaedam sunt sponsoꝝ et ma-
 ritorum communia, quae tantum efficiunt, vt priores numero poste-
 riorum, in *cap. 7. leg. Pap. Popp.* contineri, nobis persuadeamus.
 Concedimus quidem, nomen mariti et vxoris in significato proprio ca-
 dere in eos, qui in iusto matrimonio viuunt. *L. 5. C. de bon. quae li-*
ber. Cum quoque olim quaestio inciderat, quomodo tempus nuptia-
 rum, quo quis se aliquid daturum, vel facturum, promiserat, esset ac-
 cipiendum, Iustinianus in *l. 24. C. de nupt.* eam ita decidit, vt vnice
 illud, quo nuptialis festiuitas accessit, intelligi debuerit. Quae qui-
 dem decisio eo magis est probanda, quo est certius, desponsatos veris
 coniugibus annumerari non posse prius, quam matrimonium rite sol-
 lemniterque contraxerint. Apud Romanos sponsa, quae nondum erat
 more recepto in domum noui mariti deducta, vxor iusta non exstimaba-
 tur. Hinc illa manauit sententia, vxorem absentem nubere haud posse,
 licet saepius acciderit, vt viri absentes vxores sibi asciscerent, vnique ex
 suis amicis tamquam procuratori legitimo mandarent, vt is alieno no-
 mine nouam nuptam in domicilium mariti, tamquam in sedem matri-
 monij primariam, deduceret. Paulus in *sentent. recept. Libr. 2. Tit.*
19, 8. et Cuiacius ad *l. 4. D. de sponsalib.* Pertinet huc inprimis
1. 6.

l. 6. C. de donat. ante nupt. in qua Imperator Aurelianus A. Donatae sic rescribit: *cum in te simplicem donationem dicas factam esse die nuptiarum, et in ambiguum possit venire, utrum a sponso, an a marito donatum sit: sic distinguendum est, ut, si in tua domu donum acceptum est, ante nuptias videatur facta esse donatio, quod si penes se dedit sponsus, retrahi possit, vxor enim fuisti.* Neque, quominus ita sentiamus, illud obstat, quod interdum, constante matrimonio, vti ex l. 32. §. 13. D. de donat. inter vir. et l. 15. D. de action. rer. amotar. perspicitur, vxor in domo separata habitauerit. Ex eo enim non sequitur, quod tempore perfecti matrimonii, deductio in domicilium maritale haud fuerit necessaria. Apparet quoque ex l. 66. D. de donat. inter vir. et vxor. eam demum vxorem habitam esse legitimam, quae aqua et igni, quae res videntur humanam maxime, sollempniter fuisset accepta, de quo more vide, quae Budaeus in annot. ad Pandect. ad leg. 66. Tit. excitat obseruauit. Licet vero magna discrimen inter desponsatos et coniuges intercedat, multae tamen similitudines inter eosdem deprehenduntur. Arctum enim vinculum futuri matrimonii eos ita coniungit, ut fides sponsalicia inde nascatur, variarum obligationum iuriumque mater vberissima, quae impedit, quominus quis facta matrimonio in posterum incundo contraria, suscipere queat. Eam ob causam is, qui eodem tempore cum pluribus inuit sponsalia, infamia olim notabatur. L. 1. D. de his, qui notant. infam. Secundum rescriptum Imperatorum Seueri et Antonini sponsus eum, qui pudicitiam sponsae violauit, iure mariti, tamquam adulterum recte accusat. Lib. 13. §. 3. D. ad leg. Iul. de adulter. Conferatur hic Carpzouius in Pract. rer. criminal. Part. 2. quaest. 56. et Gottlieb. Slenogt. in casib. forens. select. p. 657. seqq. Quod si sponsae iniuria fuerit illata, sponso actio iniuriarum in promptu erit. L. 15. §. 24. D. de iniur. Saepe quoque ab eo, quod marito haud est licitum, ad id, quod sponso non est permissum, argumentum ducitur. Exemplo esse potest lex Iulia, quae cauere, ne maritus praedium dotale alienet, vel pignori obliget. Cum igitur quaestio oriretur, num ea lex ad sponsum esset proferenda Caius in l. 4. D. de fund. dotal. ita respondit: *lex Iulia, quae de dotali praedio prospexit, ne id marito liceat obligare, aut alienare, plenius interpretanda est, ut etiam de sponso idem iuris sit, quod de marito.* Ex his igitur rationes, cur sponso aliquando maritorum iure aestimentur, satis patere, arbitramur.

*In actione negatoria ex praestatione onerum realium
colligitur dominium*

Vti quaecumque res ab omni seruitute praesumitur esse libera, ita quod domini praediorum hoc fruuntur commodo, ut iidem naturalem fundorum, quos possident, libertatem, actione negatoria siue negatiua, aduersos quoscunque turbatores defendere queant. Ita enim Ulpianus in *l. 6. §. 3. D. si seruit. vindicet*: haec autem actio in rem magis est, quam in personam, et non alii competit, quam domino aedium et aduersus dominum, sicut ceterarum seruitutum intentio. Cum vero totum fundamentum huius actionis in libertate naturali, quae ex dominio nascitur, consistat, eaque soli domino competat, facile intelligitur, cur ante omnia actor, si aduersarius dominum negauerit, illud demonstrare debeat. Quaestio enim dominii tamquam praesudicialis, primum est excutienda. *L. 2. C. de ord. iudicior.* Quodsi igitur quis dominium non ostenderit, cum tota actione erit repellendus. Commode certe et ad hoc argumentum transferri posse illud, quod Paulus in *l. 178. D. de R. I.* tradit, cum principalis causa non consistat, plerumque ne ea quidem, quae sequuntur, locum habere, sumus persuasi. Duo vero hic bene sunt obseruanda. Primum, ne duplicem probationem simul iniungamus, et actorem dominium, reum vero exceptio- nem seruitutis oppositae, eodem tempore probare, iubeamus. Vti enim inde magna nascerentur incommoda litesque valde difficiles et sumtuosae, ita melius ipsisque litigatoribus utilius erit ante omnia excutere quaestionem dominii probationemque seruitutis in suspensio relinquare. Hoc consilium, quod olim iam suppeditauit Bergerus in *Supplement. ad Elest. disceptat. forens. Part. 2. Tit. 20. p. 490.* nos, qui hic de iure respondemus, fideliter persequimur. Alterum, ne sollemnem probationem quoad materiam, ab actore exigamus. Vt enim sumtus euentur lisque inchoata citius finiatur, aequa profecto in foris invaluit sententia, actorem leuiore demonstratione dominium ostendere posse. Quae quidem sententia et eo fundamento innititur, quod dominium duntaxat obiter et veluti in transcurso, sit demonstrandum. Berger in *Oeconom. iur. Libr. 2. Tit. 3. §. 22, 6.* Sed de probatione dominii saepenumero acres moueri controuersias, videmus. Sunt, qui existiment, actorem officio suo parum feliciter fungi, nisi et titulum factis idoneum ediderit, et modum acquirendi dominii legitimum ostende-
rit.


9

rit. Sed hi nobis probationem domini, quae in rei vindicatione requiritur multisque difficultatibus est implicita, cum leuiore domini demonstratione confundere videntur. Hos rogo expendant, multa in fauorem possessorum in nostro iure esse constituta, atque eos, qui rem aliquam possident, ab obligatione edendi tituli esse immunes. Imperator Antoninus in *l. 2. C. de probat.* haec tradit: *possessiones, quas ad te pertinere dicis, more iudiciorum perseguere. Non enim possessori incumbit necessitas probandi eas ad se pertinere, cum te in probatione cessante, dominium apud eum remaneat.* Diocletianus et Maximianus vero in *l. 28. C. de rei vindicat.* commodam nobis sententiam proponunt, his quidem verbis: *res alienas possidens, licet iustam tenendi causam nullam habeat, non nisi suam intentionem implenti restituere cogitur.* Ex pluribus vero actibus possessoris sine vlla turbatione exercitis, atque ex possessione diuturna dominium praesumi, saepius iudicatum est. Vide Hornium *Class. 2. Resp. 41.* et Wernherum *Part. 4. obseruat. 223.* Sed iam ad materiam, quam explicandam sumsimus, propius accedamus. Onera realia ab omnibus, qui fundum possident exque eo fructus percipiunt, praestanda esse, certum est. *L. 6. §. 5. D. de munerib. et honorib. et l. 3. C. de annon. et tribut.* Hinc in onerum praestatione diuersam personarum rationem leges non respiciunt, sed potius eadem a omnibus fundorum possessoribus exigunt. *L. 7. D. de public. et vestigal.* Is enim, qui ex re commoda capit, subire quoque debet eiusdem incommoda, vti e contrario ad eum, quem sequuntur incommoda, etiam commoda pertinent. *L. 10. D. de R. I.* Ex quibus facile est ad intelligendum, eum, a quo onera realia exiguntur, si non pro domino, saltim pro possessore et usufructuario haberi. Qui reditus exigit, auctore Marcello in *L. 48. D. de solut. pro domino agit.* Putamus igitur, in actione negatoria eum, qui probauit, se per plures annos omnia tributa realia tam ordinaria, quam extraordinaria, praestitisse, demonstrationem sibi impositam feliciter absoluisset. Neque nobis ob stare videtur *L. 25. C. de R. V.* ita concepta: *sollemnibus pensionibus pro alio satisficientem, non interveniente venditione, solutionis causa, minime dominum facit.* Etenim conductores et alii, qui alieno nomine possident, onera quidem solvunt, sed non nomine proprio, potius alieno, ita vt eorundem praestatio iis haut sit molesta. Vt rem exemplo illustremus, iuuat hic commemorare controuersiam, quae coram regimine ducale Vinariensi agitata, mense Nouembri



anno 1777. Iureconsultis Vitembergensibus, vt eam deciderent, fuit oblata. Rustici extranei in quodam loco peregrinae iurisdictioni obnoxio, pecora sua pascebant hocque ius diu fati exercuerant. Domini, quorum iurisdictioni iste locus erat subiectus, hoc aegre ferebant atque rusticos ius pasceendi in posterum exercere nolebant. Rustici vt sibi prospicerent, actionem negatoriam instituebant. Aduersarii non solum in litis contestatione dominium negarunt, sed etiam fructus loci, in quo pascebatur, iure domini ad se pertinere, forensibusque ibi nihil iuris competere, obiecere. Postea cum actoribus demonstratio domini iniuncta fuisset, rei in demonstratione contraria id inprimis vrsere, quod actores neque titulum, neque modum acquirendi domini attulerint, ideoque litem, vti optauerant, decusum iri, sperarunt. Sed nos, actores probanda fati demonstrasse, pronunciauimus, atque reis probationem iuris oppositi imposuimus. Omissis rationibus dubitandi, in praesenti rationes duntaxat decidendi annectimus: dennoch aber und dieweil der Umstand, daß die Wüstung Listkau der Jurisdiction des Ritter-Guths zu Synderstedt unterworfen, auch Klägere als Forenles zu betrachten, Klägern nicht nachtheilig seyn mag, anerwogen daraus die Folge, als ob Klägern dieserwegen kein Recht an denen in der Wüstung Listkau gelegenen Grundstücken zustehet, vielmehr solches Beklagten zukomme, nicht herzuleiten stehet, und die Jurisdiction an und vor sich den Begriff des Dominii nicht imoluiert, eben so wenig auch dieses, daß in dem Bescheinigungs-Documente sub I. der streitige Platz ein gemeiner Rasenplatz genennet wird, Beklagten zum Vortheil gereichen mag, indem aus eben diesem Documente erhellet, daß selbiger bey voriger Reuision, als eine Wiese in die Steuer geleet worden, und, daß solcher bereits im Jahr 1707. unter dem Rahmen der Gemeinde, mit Steuern beleet worden, aus dem fol. 13. Actor. O G 3. befindlichen Documente sich ergiebet, hierbey auch Klägern der fol. 44^a. Actor. § sub Δ beygefügte Extract zu statten kommet, und daraus, daß Beklagte die mehresten Grundstücke in der Wüstung Listkau besizen, als ob Klägern dieserwegen ein Eigenthumsrecht an einigen daselbst gelegenen Grundstücken nicht zustehen könne, nicht gefolgert werden mag, aus denen von Klägern sub F und I. inducirten Urkunden aber die Richtigkeit dessen, was in dem 16ten Gegen-Bescheinigungs-Artical enthalten, nicht abzunehmen, indem das sub F blos so viel erweist, daß Klägere Vorfahren über die Ritterguths-Besizere zu Synderstedt bereits im Jahr 1713. darüber, daß selbige die gemeine Wiese mit ihrem Schaf-Vieh abhütthen lassen,

fich



sich beschweret, aus dem sub I. hingegen erscheint, daß mehrgedachtes Grundstück als eine Wiese mit Steuern oneriret worden, auch das Vorgeben, als ob selbiges für ein Percinenz Stück des Nitterguths zu Synderstedt zu halten, in Betracht, daß solches nicht im mindesten beschheimigt worden, im Gegentheil aber aus obangezogenen Rescriptis sich verificiret, daß derer Beklagten Vorfahren die Betreibung und Behürhung darauf ausdrücklich untersaget worden, Beklagte aber einen Titulum, wodurch sie das Eigenthum daran erwerben kömten, anzugeben nicht vermögend gewesen, keine rechtliche Attention verdienet, aus denen sub A G 3. beygelegten Acten aber, daß Beklagter Vorfahren die wider sie angebrachte Beschwerden beantwortet, keinesweges zu ersehen, und, daß Beklagte und deren Vorfahren, wenn gleich Klägere den bey dem 14ten Beschheimigungs- Articul über den Umstand, daß denen von Griesheim und dem von Raschau die vorherho angeführten Rescripte wirklich insinuiret worden, ihnen deserirten Hauptend, secundum fol. 5. Actor. 6. C abzuschwören nicht vermocht, davon doch Wißenschaft gehabt, in Ansehung, daß in dem fol. 65^b seq. Actor 4 befindlichen rechtskräftigen Bescheide erkannt worden, daß jegliche Beklagte die an ihre Vorfahren erlassene und Articul. 5-12 angezogene Rescripte unter ihren Scripturen und Repositorien gefunden, als wahr und richtig anzunehmen stehet, auch der Einwand, daß sie auf der streitigen Gegend das Hüthungsrecht nicht Iure seruitutis, sondern Iure dominii exerciret, da sie das angebliche Eigenthumsrecht nicht dargethan, nicht in Erwägung zu ziehen, und gegenwärtig daraus, daß Beklagte und ihre Vorfahren die Trift und Hüthung auf dem libellirten Grundstück über rechtsverwährte Zeit ausgeübet, auf ein Eigenthumsrecht darauf um so weniger ein Schluß zu machen, da aus denen Beweis-Documenten sub A und Δ sich veroffenbahret, daß die Articul. demonstrat. 2. benannte Personen ehedem steuerbare Grundstücke in der Wüstung Liskau besessen, selbige auch die sogenannte Gemeinde mit versteuern müssen, durch das Document sub K aber, daß die im 17ten Beschheimigungs- Articul nahmhaft gemachte Personen an derer erstern Stelle getreten, und deren Nachfolger in denen Liskauischen Grundstücken worden, hinsänglich beygebracht worden, einfolglich und da Klägere beygebracht, daß sie und ihre Vorfahren seit 1707. die Steuern von dem libellirten Grundstück entrichtet, und dieses insbesondere auch aus dem fol. 39. sub A A inducirten Documente sich verificiret, Beklagte und deren Vorfahren aber hierzu einigen Beytrag nicht geleistet, kein Zweifel, daß sie für die Eigenthümer desselben zu achten, und, daß



Beflagte selbst sie in dieser Qualitaet agnosciret, aus dem fol. 40. sub B B befindlichen Documente erhellet, bey so bewandten Umständen aber, und da Klägere das Eigenthum an dem geklagten Grundstück hinlänglich dargethan, nunmehr Beflagte das vorgeschüzte Befugniß, wie Recht, zu erweisen schuldig, so sind wir, wie im Urtheil enthalten, zu erkennen bewogen worden. Ita vero respondimus in Sachen Hanns Heinrich Cornariusens und Consorten, contra Christian Friedrich Günthern und Johann Augusten, Gebrüdere von Griesheim.

III.

De remissione collationis ex silentio patris haud inferenda.

Quod liberi obligentur, vt hereditatem adscendentium adituri, bona, quae ab iisdem viuis acceperunt, in medium conferant, id manifestam habet aequitatem. Licet vero ideo collatio a praetore fuerit introducta, ne heredes sui, cum emancipatis via ad successionem pateret, vlla afficerentur iniuria, olimque ea tunc tantum locum haberet, si emancipati cum suis concurrerent, vti ex *l. I. D. de collat.* satis constat, discrimen tamen antiquum in *l. 17. C. de collat.* sapienter sublatum, atque ratione valde aequa constitutum est, vt ii, qui pari iure ascendentibus heredes existunt legitimi, aequalia in hereditate capienda assequantur commoda. Conferas hic Cuiacium in *in obseruat. Libr. 3, 30.* et Schilterum in *exercitat. ad Pandect. 41. 14.* De bonis collationi obnoxiiis, saepe magnae oboriuntur controuersiae. Sunt, qui putent, ea, quae simpliciter fuere donata, collationi esse exempta. Alii vero, omnia, quae in legibus non exipiuntur, bona, sine vlllo discrimine esse conferenda, contendunt. Quod si quis pragmaticorum hominum de hac re opiniones scire cupiat, eius desiderio satisfacit Heumannus in *exercitat. iur. vniuers. Volum. I. specim. 8.* Non erit inutile hoc loco afferre eam speciem, quae anno praeterito ad Iureconsultos Vitembergenfes, vt super quaestione dubia responsum conciperent, fuit delata. Pater aliquis de bonis suis mortis causa disponebat, atque filiabus, vt et dotem, et bona paraphernalia conferrent, imperabat. Filiis, qui amplis ornati muneribus, dudum ex eius potestate exierant atque oeconomiam separatam instituerant, licet adhuc subsidium admodum liberale subministrasset, necessitatem accepta conferendi, haud iniungebat. Cum vero filiae a fratribus suis, vt, quae a patre acceperant, in communem hereditatem inferrent, postularent, hi, se ad hoc onus subeundum nullo

lo modo obligari, statuebant. Prouocabant partim ad leges, quae donationes simplices a collatione eximerent, partim vero ad silentium patris, ex quo remissionem huius obligationis inferendam esse, opinabantur. Nos vero, eosdem esse obstrictos, vt subsidium datum conferant, respondimus. Rationes, cur ita senserimus, breuiter subiungere expedit. Opinionem scilicet vulgarem, quod donatio simplex collationi haud subiecta sit, reiecimus. Etenim in *l. 20. §. I. C. de collat.* ex qua aduersarii suam sententiam probare conantur, ab Imperatore Iustiano constitutum est, filium, si in hereditate cum filia, quae dotem accepit, concurrat, omnino esse obligatum, vt simplicem donationem in hereditatem imputet, et postrema huius *legis* verba, vti iam Gothofredus obseruauit, vanum tantum argumentum donatarii collationem detrectantis, continent. Ratio collationis primaria consistit in conferuanda aequalitate. Sed haec aequalitas, si donationem simplicem in hereditatem conferri nolumus, salua esse non poterit. Lex classica, quae nostrae sententiae fauet, est *cap. 6. Nouell. 18.* in qua Iustinianus, vt litium materiam praecideret, haec sanxit: *illud quoque bene se habere credimus hac lege completi: prioribus enim legibus volentibus in collationibus, si quidem sine testamento morerentur parentes, collationes secundum earum virtutem fieri: si vero testati nihil dicentes de eis, locum non fieri collationibus, sed res habere per dotem forte, aut alio modo datas, et quae sunt relicta, defendere, nos sancimus, non esse omnino talem opinionem: sed siue quispiam intestatus moriatur, siue testatus, quoniam incertum est, ne forsitan oblitus datorum, aut prae tumultu mortis angustiatus, cuius non est memoratus, omnino esse collationes et exinde aequalitatem, secundum quod olim dispositum est, nisi expressim designauerit ipse, se velle, non fieri collationem: sed habere eum, qui cogitur ex lege conferre, et quod iam datum est et ex iure testamenti, omnibus, quae prius de collationibus a nobis sancita sunt, in sua virtute manentibus.* Iustinianus igitur ea, quae antea iam in *l. 20. §. I. C. Tit. ex-citat.* praeceperat, clarius exposuit, atque errorem existimantium, collationem, quando in testamento condito de eadem nihil dispositum fuit, cessare, prorsus repudiavit. In specie vero supra proposita pater filias quidem dotem aliaque bona conferre iusserat. Sed, licet hoc non praecepisset, filiae tamen ab obligatione collationis haud fuissent immunes. *L. 9. et l. 12. C. de collat.* Certe ii, qui eiusmodi immunitatem dona-



donationi simplici tribuunt, suam opinionem hac clausula circumscribunt, nisi alii, a quibus dos, vel donatio propter nuptias, massae hereditariae contribuenda, simul adsint. Adeas Io. Gottlob. Neuhausii *disputat. de collat. bonor.* §. 30. et *Promptuar. iur. Bertochianum* cura Illustris Hommelii nuper editum, sub *verb. collatio* §. 20. Quod si ne dos quidem, quae tamen fauore eximio fruitur, a collatione est libera, quanto minus id de rebus fauoris longe minoris erit affirmandum? Causa collationis etiam ad simplicem donationem pertinet, quae si in collatione haud venit, inaequalem efficit patrimonii hereditarii distributionem. Ceterum consulendus est Leyserus *Specim 410. meditat. I.*

III.

Sub bibliotheca libri nondum compacti omnino continentur.

Proposita est nuper Iureconsultis Vitembergensibus elegans quaestio, num sub nomine bibliothecae, quam testator post obitum filius quidem suis iure praecipui cedere volebat, etiam libri nondum compacti essent intelligendi? Late quidem verbum bibliothecae olim patuit, nec solum librorum copiam, verum etiam ipsum, in quo libri collocati sunt, locum expressit. Festus sub hoc *verb.* et apud Graecos, et apud Latinos, hanc significationem fuisse vsitatam, testatur. Quin eo comprehendendi ipsa, in quibus libri reponuntur, armaria, ex *l. 52. §. 7. D. de legat. III.* intelligitur. Veteres quoque, cum in variis materiis scribere essent soliti, vocabulum librorum acceperunt latius, praesertim si illud in vltimis voluntatibus fuisset vsurpatum. Hinc Paulus in *recept. sentent. Libr. 3. Tit. 6. §. 87: libris legatis, chartae volumina, vel membranae et phyluræ continentur. Codices quoque debentur: librorum enim appellatione non volumina chartarum, sed scripturae modus, qui certo sine concluditur, aestimatur.* Et certe nos Paulum laxius esse interpretandum, tanto confidentius statuimus, quo certius ex antiquis constat scriptoribus, homines olim in frondibus florum, pomis, corticibus, tabellis ligneis, eburneis, charta, membrana aliisque materiis, quicquid aliorum scire intererat, expressisse, de quo argumento doctissime exposuit Hermann Hugo de *prim. scribend. origin. cap. 10.* vt ideo legum interpretes non tam materiam, quam potius scripturam respexerint. Conferas prooemium *l. 52. D. de legat. III.* Erat vero iam antiquitus is mos receptus, vt libri, quo ab iniuria pulueris eo melius defenderentur, variis integumentis munirentur, vt Io. Nicol. Func-

Funcius in *comment. de scriptur. veter. cap. 8. §. 25.* et Schwarzius in *disputat. altera de ornament. libror. apud veteres usitat.* copiosius ostenderunt. Eiusmodi vero integumenta nobis videntur esse partes librorum accessoriae, quae vna cum rebus principalibus debentur. *L. 17. §. 7. D. de actionib. emt. et vendit. et l. 14. §. 15. D. de furt.* Cum quoque bibliotheca tamquam appellatione generali cuiusvis generis libri comprehendantur, eaque non solum volumina formulis typographorum excusa, verum etiam codices calamo exaratos et libellos minutos contineat, Iureconsulti Vittembergenses quaestionem supra propositam affirmandam esse, censuere, additis hisce rationibus: wenn schon in allen Fällen, da jemand etwas von einer Erbschaft iure speciali als ein Praecipuum beschieden worden, des Testatoris Wille im engern Verstande anzunehmen, hieraus aber, daß des Caii Söhne nur die wirklich gebundene Bücher zu verlangen berechtigt, gefolgert werden möchte; dennoch aber und dieweil das Wort: Bibliothec, als ein Vocabulum generis nicht bloß die eingebundene, sondern auch ungebundene Bücher und Piezen, welche roh aufgefunden werden, in sich begreiffet,

L. 52. §. 5. D. de legat. III.

Mencke in *Systemat. iur. civit. secundum Pandect. L. 30. §. 13.* gestalten daraus, daß jemand angeschafte Bücher noch nicht binden lassen, als ob er selbige nicht zu eben dem Gebrauch, wozu bereits gebundene dienen, anwenden wollen, die Folge nicht herzuleiten stehet, auch überhaupt die Anordnung eines Testatoris seinen Absichten gemäß zu erklären,

L. 12. D. de R. I.

und von der gewöhnlichen Bedeutung derer Wörter, welche der Sprachgebrauch mit sich bringet, ehe und bevor nicht gewiß ist, daß solche der Testator in einem ungewöhnlichen Verstande genommen, nicht abgewichen werden darf,

L. 69. D. de legat. III.

so gehet auf die vierte Frage unsere rechtliche Meynung dahin, daß diejenigen Bücher und Piezen, welche in des Caii Bibliothec annoch roh und ungebunden aufgefunden worden, dessen nachgelassenen Söhnen alleine, nicht aber ins gemeine Erbe gehören.

V.

De restricta facultate domini operas a liberis rusticorum exigendi.

Est legibus Saxonice cautum, vt liberi rusticorum operas suas extraneis prius, quam domino iurisdictionis eadem obtulerint, locare haud queant.



queant. *Ordinat. famulit. de ann. 1651. Tit. 3. et Ordinat. polit. de ann. 1661. Tit. 23. cap. 3. §. 1.* Hoc ius ex statu priscae seruitutis, quae olim in Germania viguit, esse repetendum, leges antiquae dubitare haud finunt. *L. Alamann. Tit. 22.* Etenim in *Capitular. reg. Francor. Libr. 7. cap. 335.* inter iura hominis liberi et istud refertur. quod potestate sit praeditus operas suas diurnas nocturnasque, vti ei videtur commodum, locandi. Potestas vero dominica antiquitus non solum in seruos, verum etiam in eorum liberos vniuersamque familiam fuit exercita. Conferatur inprimis Bochmerus in *dissertat. de iur. et stat. homin. prior. Sect. 3. §. 14.* Nec igitur mirandum, quod hodie et in iis terris, in quibus rustici non amplius dura seruitute premuntur, vestigia antiquae conditionis deprehendantur. Ne vero quis putet, hanc, quam dominis tribuimus, facultatem, rusticis nimis esse molestam, vtilem, qua dominorum potestas circumscripita est, restrictionem silentio omittere nolumus. Scilicet in locis, quos ex ordinationibus Saxonice supra adduximus, in commodum rusticorum est constitutum, vt, si ipsi ministeriis liberorum indigeant, ab obligatione eorundem operas offerendi dominis sint immunes. Venit hic mihi in mentem lis de hac re coram regimine Altenburgensi agitata. Subditi actione negatoria dominos iurisdictionis propterea quod etiam tunc, quando liberorum operae ipsis essent necessariae, easdem exegissent, conueniebant. Licet vero in actione confiterentur, se huic obligationi esse adstrictos, negarunt tamen, eam tunc locum habere, si operis liberorum ipsi indigerent. Regimen vero Altenburgense decreto interposito, reis iniungebat probationem, quod actores, si operis liberorum domesticis carere nequeant, ad hoc incommodum subeundum obligentur. Rei remedio leuiterationis adhibito, meliorem sententiam obtinere cupiebant. Sed Iureconsulti Vitemburgenses, non tam aequitate, quam potius legum auctoritate commoti, prius decretum simpliciter confirmarunt. Etenim et in ducatu Altenburgico rigor iuris, quod dominis competit, ita temperatus est, vt a liberis, quorum ministeria parentibus sunt necessaria, eiusmodi operae exigi nequeant. Confer *Ordinat. ducat. Altenburg in Adiunct. Part. 3. No. 6.* Consulere hic iuuabit Bergerum in *Oeconom. iur. Libr. 1. Tit. 2. §. 8. not. II.* et *Repertor. iur. priuat. sub verb. Dienstzwang et Bauerdienste.*





ULB Halle


3


002 265 427



(f) 56.







OBSERVATIONES
IVRIS ROMANI ET SAXONICI

28

QVAS

1978

11

PRAESIDE

D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

PROFESSORE INSTITVTIONVM ORDINARIO CV.
RIAE PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE COLLEGII
IVRECONSVLTORVM ASSESSORE EIVSDEMQUE

H. T. DECANO

DIE I. AVGVST. A. S. R. CIODCCLXXVIII.

H. L. Q. S.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITVRVS EST

FRIDERICVS GVILIELMVS ROSZTOCK

VARSOVIA - POLONVS.

SPECIMEN VIII.

VITEBERGAE

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

